Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

TENESMO,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, & reliqua,

SVB PRÆSIDIO

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

HEREDITARII in Schwartza/

MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI, SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII ET ARCHIATRI, THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII,

Patroni, Præceptoris ac Hospitis omni honoris cultu ac filiali obseruantia ætatem prosequendi,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores, Insignia & Priuilegia DOCTORALIA, MORE MAIORVM, rite capessendi,

publicæ disquisitioni exposita

a

MATTHIA ZACHARIA PILLINGIO,

ALTENBVRGENSI MISNICO,

IN AVDITORIO MAIORI,

Horis ante- & pomeridianis consuetis,

A. D. Octobr. A. C. M DCC X.

IENÆ, Litteris KREBSIANIS.

I. N. I.

PROOEMIVM.

VVlgata eſt parœmia, voluntas non poteſt cogi. Dubia hæc eſt, prout vel morali vel phyſica acceptione profertur.

Verum eſt, aliter perſuaſum & obſtinatum animum ægre poſſe cogi, vti ſunt homines vel ſerui natura quaſi, vel appetitus magis ſenſitiui, quam rationalis dicto audientes.

Contra ea vero non pauca ſunt media, quibus voluntas cogi poteſt, vel duro neceſſitatis telo cogente, vel fruſtra obnitente etiam ſenſibus ipſis animo. Voluntas ſæpe hominum eſt mutabilis, neque enim Stoica quicquam valet phantaſia in contrarium, nil quicquam debere obſtare ad flectendum animum, ſeu gratum alias, ſeu hoſticum viſum.

In morbis vel ſoli dolores tortores ſunt, qui in obſequium trahunt inuitos, vt voluntate coacti ſua obniti & certare deſinant flexili ſatis rigiditate.

Docet ſane coacta naturæ œconomia, quid de eo ſentiendum ſit. Teneſmus exemplo ſit, (ne de tetano eiusque ſpeciebus aliisque dicamus,) quid ſit, quidue poſſit coactum & expreſſum opus, vt *Tulliana* phraſi loquamur. De illo dum dicere aggredimur, diuinum adoramus Numen, vt feliciter id euenire clementer iubeat.

CAPVT I.

De

Definitione Nominali & Reali.

CVm enucleationem & cognitionem nominis ipsius rei perceptio sequatur, & conuenienter nomina τὰ τῶν ὄντων νοήματα, *rerum notiones*, salutari soleant, operæ pretium, imo vtile, non minus ac necessarium est, etiam ONOMATOLOGIAM delibare, nec intactam relinquere.

Receptissimum nomen est TENESMVS in Latio, vel *Cornelii Nepotis* autoritate, sed ab Hellade oriundum, vnde & *Celsus* magis Græco nomine τηνεσμὸν efferre voluit. Si vero antiquos Græcos, inprimis patres medicinæ, consulamus, vt *Hippocratem* ipsum, & *Pergamenum*, aliosque Græcos, quotiescunque illius mentionem faciunt, τεινεσμὸς audit rectius: τενεσμὸν vero apud Græcos vix legas, quod perperam quidam scribunt.

Sunt, qui etiam apud *Plinium* & alios tenasmon legunt, sed accuratiores & genuinæ lectiones tenesmi vocem longe rectius & constanter scriptam asserunt; Idem de tinesmo valet, quo pacto non temere efferenda est.

Explicat hoc nomen satis emphatice ipsa deriuatio, siquidem oritur & dicitur ἀπὸ τοῦ τείνειν *tendere*, intendere, extendere, produci. Adeoque, elogio *Galeni l. 2. meth. med. c. 2. & 7. aphor. comm. 27.* ὀνόμασαι τὸ πάθος ἀπὸ τῆς τάσεως φάσι τῆς γινομένης κατ' αὐτήν. *Nomen accepit hic affectus ab illa, quæ in eo fit, tensione.* Et *Actuar. l. de diagnos. morb. c. 41.* scribit: τεινεσμὸς τὸ πάθος λέγεται, τῷ τὸ μόριον ὃ πέπονθεν, ἐκτείνεσθαι. *Tenesmus affectus hic nominatur eo, quod locus affectus extenditur.*

ditur. Hinc idem notat, ac si dicas, iuxta *Scholiasten Nicandri*, διάτασις *distensio*, iuxta alios tensio, intensio.

Nec de nihilo erit synonyma quædam nostri affectus libare, qui dicitur perfrictio ani *Marcello l. de medicam. c. 29.* libido desurgendi seu appetitus, *Scribonio Largo*, cupiditas desidendi aliis, *Plinio Secundo l. 2. c. 28.* conatus vacuus & molestus, pruritus ani. Græce illa διάτασις, *distensio*, eleganter βιασμὸς laudato *Scholastæ Nicandri* audit, *violatio* seu coactio potius, vt Germanis **das nöthigen zum Stuhl/ die Stuhl-Sucht/ der Zwang/ der Stuhl-Zwang/ das Zwengen.** Gallis, vt *Pineto* in versione *Plinii* Gallica satis apte dicitur passim *l'expression.*

Vtut vero prædicetur aliquando etiam tenesmus de dysenteria, & confundatur cum eadem, quod, *Celsi* elogio, deiiciendi cupiditas dolorque in ano vtrique tribuatur; possunt tamen & solent hæc separari quoque, nec promiscue sunt sumenda. Idem de hæmorrhoidibus, cæcis præsertim, aliisque tensionibus ani dolorificis dictum esto.

TENESMVS ergo est frequens desidendi cupiditas, cum nisu & conatu fere inani & molesto, ab irritatione sphincteris ani continuata exoriens.

GENVS seu rationem formalem consistere in προθυμίᾳ, seu *cupiditate* quadam, confirmat *Galenus in finit. Med.* & *7. aph. comm. 27.* ipseque *Celsus* ita definit *l. 4. c. 18.* ac plerique veteres æque ac recentiores, *Paulus*, *Aetius*, *Aretæus*, *Sennertus* aliique.

Cupiditas hæc definita est & debita voluntati, seu appetitui sensitiuo. Cumque hic locomotiuam impellat, & sensus inuitet ac præcedat motum, hinc cupiditas est prior, conatus sequitur, excretioni intentus, seu ἐξανάστησις, *consurrectio*, vt satisfiat sensui & stimulo.

Hinc alii quidam id exprimere maluerunt, per appetitum tenesmum definientes, non alio ſenſu intelligendi; alii per deſiderium, per voluptatem & vrgentiam quoque ipſam. Ne dicamus cauſalem quosdam amplexos definitionem, eſſe ſcilicet irritationem inteſtini recti, vt *Scribon. Largus l. de comp. medicam c. 37.* Ne illos laudemus, qui remotum nominant genus, a ſubiecto deſumptum, & vocant affectum inteſtini recti, quem comitatur conatus, vti *Trallianus*; alii διάθεσιν *diſpoſitionem*, vt ipſe *Galenus l. c.*

DIFFERENTIA ergo SPECIFICA limitat hanc cupiditatem, quæ egerendi eſt, & deponendi aluum. Confirmat idem intellectus & appetitus conſideratio & commercium, reſpectu obiecti, tum cognoſcendi, tum appetendi ſeu excernendi, ſed ſenſuali ſolum vtrumque.

Adeoque cupiditas paulo ἀκύρως occurrit, & exercetur ratione tantum boni apparentis, quia natura per deiectionem leuamen quoddam intendit, quod licet ad breue tempus etiam inuenire videatur, eſt tamen id magis mendoſum & cum augmento ſæpe mali.

Frequens & continua quaſi eſt hæc egerendi cupiditas, & conatus aſſiduus, ad differentiam conatuum naturalium, quoniam in teneſmo conatus conatum excipit. Cum enim contra ea in naturali illa ad deſidendum iteratione non leue intercedat interuallum, vt per diem & noctem vix ſemel iterumque admoneat ianitor, præſto eſſe quæ exitum deſiderent, hoc caſu crebrius & citra moram debitam exſtimulatur archeus, breui ſatis temporis ſpatio liber.

Inanis autem hic eſt conatus, i. e. ſine effectu, ſine cauſa, ex mente *Scribonii Largi*, ſeu ſuo ſenſu ſine materia, ſaltim ſufficiente & proportionata, quo differt ab omnibus fluxionibus alui, in quibus modo cum, modo ſine conatu multum

tum materiæ excernitur, quod in tenesmo cessat, neque enim ἄξιον λόγου, *memoratu dignum* excernitur, mouetur incassum, non promouet aluus. Vana est & sine viribus hæc vrgentia, nisus, impetus, promtitudo.

Inanis præterea dicitur non tam respectu excernendorum qualitatis, quam quantitatis, non tam molis, quam vrgentiæ. Molesta insuper satis est, vtpote irrequieta, inuita, imo non raro dolorifica, irrito conatu producto.

Et omnis hic conatus per anum peragitur, κάτω directus, ad differentiam nauseæ, per os superius se exerentis. Hinc non inepte duplici mechanica notio tenesmi generalis concipi & exprimi analogice potest, nauseæ laudatæ & stranguriæ. Seu quicquid per os est nausea, quæ apud *Aretæum* vocatur conatus ad vomendum perpetuus & inanis, id per anum certo respectu est tenesmus, quatenus & ibi tunc quædam occurrit ναυσίωσις ad deplendum, sed frustranea magis. Sic & curatius adhuc in tenesmo similiter ani sphincter laborat, vt vesicæ in stranguria, quo de vid. *Duretus comm. in Coac. p. 364.*

Est itaque hoc symptoma excretorum & retentorum, a potiori facta denominatione, & quidem in actu exercito, vt id huc applicemus, vnde quidam fluxum intestinalem vocant quoque; sicut in actu signato concurrit, ob sororium commercium, actio læsa quoque, quoad motum naturæ coactæ.

Notabile enim hic est, olim quoque quosdam tenesmum ad lienteriæ species retulisse, quod nominatim ex *Erasistrati l. 2. de ventriculo* citat *Galenus 6. aph. comm. 1.* diuisisse nempe illum eandem in proprie dictam, dysenteriam, & tenesmum, quando biliosa mixta cum sanguinolentis, atque mucosis excernantur, sed & ipse eundem fusius refutat, neque alios habuit assentientes. CA-

CAPVT II.

De

Subiecto.

PRoximum eſt, vt cognita definitione, explicationem SVBIECTI aggrediamur. Facilius enim, effato *Celſi l. 4. c. 1.* omnium interiorum morbi curationesque in notitiam veniunt, ſi prius eorum ſedes nouerimus.

Enimuero non ſufficit, quod omnino habet locum quoque, noſſe ſubiectum *vt quod,* hominem puta, vel totum corpus ſuo modo ipſum, ſed etiam ſubiectum *vt quo* ſcire oportet. Et hoc iterum non tam quoad integram quaſi machinam humanam, quam, cum omnes & ſingulæ partes habeant ſuam πρᾶξιν, & quælibet patiantur etiam ſuos manes, diſtincte magis & ſpecialius omnino.

Cum itaque teneſmus conſiſtat velut in ſede, duplici ſenſu, locali & nominali ipſo, & certa parte, nominatim circa anum eiusque ſphæram & confinia, & valeat quoque hic, vbi dolor, vel moleſtia, ſenſus & motus, ibi morbus, merito ex hoc fundamento iudicandum eſt de ſubiecto, ſeu parte affecta & patiente.

SVBIECTVM hinc PRINCIPALE eſt ſphincter ani, ſeu muſculus conſtrictorius, criſpatus, orbicularis, qui reſpectu *inteſtinorum* quidem, deorſum vehiculantium, eorundem eſt finis & vltimus, quatenus illic appellunt excernenda ſcybala, & cum his alia quæcunque dimittenda; ſed reſpectu huius *ſenſus* & *directionis* vltimæ primus. Hinc rectiſſime ab *Hippocrate* dicitur a colo oriundus ἀρχὸς λοίσθιος, σάρκα πολυπλήθεα ἔχων, ἐς ἄκρον δακτυλίου τελευτῶν, *rectum ac princeps inteſtinum poſtremum,*

mum, carnem copiosam habens, & in summum anum, tanquam annulum, (sphincterem) *desinens. l. de anat. c. 3. t. 15.*

SVBIECTVM ADÆQVATVM est ἀπευθυσμένον ἔντερον, vel etiam absolute, absque additamento hoc, dictum, q. d. dirigens & disponens, *intestinum rectum*, quod in linea recta magis deorsum fertur, pro actione sua & officio debito varie instructum.

Gaudet hoc tunicis tribus vel quatuor, vt reliquæ serpentinæ quoque continuatæ, vna communi, extima, a peritonæo oriunda, membranea illa, reliquis propriis magis, fibrosa, neruosa, & ab aliquibus seorsim addita, intertexta quasi magis, glandulosa, ad fœnerandam mucilaginem defensiuam & oblinentem.

Exerit hic se inprimis elater peristalticus, quatenus scybala grossiora coæquata complectitur, circumprimit, blandeque sic contactu suo promouet: & sic absolutorius actus, qui excretorius scilicet est, committitur sphincteri.

Eleganter complectitur ambitum & exitum, vnaque sic seorsim & præcipue musculosam substantiam, quæ in vniuerso reliquo peristromate non inuenitur. Hæc ipsa enim musculosa substantia & crispatura a reliquis omnibus distincta gaudet prærogatiua.

Adest enim musculus ab vsu sphincter dictus, orbiculus minimus, quando silet & quiescit, sed capax & magnus sic satis, si diducatur & operetur, ad officium reserandæ portæ sollicitatus. Artificiosissima enim crispatura illigantur fibræ, vt instar orificii marsupii cuiusdam coarctari & dilatari per vices queat. Dilatatur a pondere, quod circumplectitur elater, constringitur mox sponte ab eodem dimisso, & depleto spatio subsidente.

Eſt idem delicatiſſimi ſenſus, nerui enim quatuor, effato *Th. Bartholini*, inteſtini recti extremo inſeruntur, qui hoc ipſum valde ſenſile reddunt, vt vel in tenesmo hoc videre eſt, *l. 1. anat. reform. c. 10. p. 97.*

Orbicularis eſt ad ſeruandam æqualitatem centralem, qua maxime fibræ gaudent, lateraliter vero duo leuatores ſurſum retractum & occluſionem quoque ſuo modo iuuant. Cæterum arcta connexione gaudet cum cervice veſicæ non minus, quam ipſius vteri in fœminis, quod vel ideo notatu dignum eſt quoque, quoniam horum conſenſu etiam laudandus erit tenesmus non raro oriundus.

Cum itaque ſphincter ani laudatus, vtpote ianitor hoc loco ordinarius, primas teneat partes in ſuſtinendo & exhibendo tenesmo, vtpote animali, & ſic voluntariæ, illi apertioni, diductioni, dimiſſioni & occluſioni conſequenti velificans, operans & deſtinatus, quomodo hoc patiatur, conſiderari meretur.

Sine dubio afficitur tertia intimior vel ipſa quoque media tunica, fibris motricibus intertexta, ſenſilis & eminens vtraque. Et patitur hinc inteſtinum partim vt ſimilare, intemperata illa v. g. reddita, nudata & priuata ſua debita roborante & demulcente roſcida humiditate, quo de in cauſis agendum erit; partim vt organicum, conſtrictioni, complexui & circumpresſioni periſtalticæ velificans; & denique vt vnum, continuitate ſua gaudens in ſtatu ſano, vnde alacriter & ſine vlla moleſtia, dolore, ſenſu triſti, munere hoc ſuo fungitur. Secus fit a cauſis morboſis ipſum impetentibus & fatigantibus.

Liceat hic ſtatuere vſum auctum, qui terminus alias in ſcholis medicis de actione cordis, ſeu pulſu, prædicari conſueuit, celeri vel frequenti quoque, etiam hic occurrere & applicari poſſe. Inde enim velut fatigato tam ſtrenuo & generoſo

nerofo artifice, portæ patulæ huic & exituræ præfecto, idem fenfus & motus fit deprauatus, non tam ratione fenfationis, quam ratione obiecti peregrini extranei, inæqualis, infoliti, vno verbo dolorificus & moleftus.

Duplici modo afficitur inteftinum rectum, eiusque fphincter, ad inftar aliorum morborum, in tenesmo, per *effentiam* & per *confenfum*. Prius contingit, quando morbum & caufam morbi proximam ita in finu fuo fouet, vt domeftica fit, eique propria, nulla vero alia pars concurrat, feu caufam vel materiam illuc mittat. Et hoc fenfu accipiendus eft *Actuarius l. 1. de prognofi morborum, fi vitium*, fcribens, *eft in inteftino recto*, τεινεσμὸς *appellatur, eo, quod locus affectus* τείνεται, *i. e. extenditur.*

Per confenfum vero patitur, quando focus morbi in alia hæret parte, & fic aliunde huc amandatur, item quando non fimplex eft tenesmus, fed combinatus cum alio quocunque. Perinde eft, fi diftinguamus inter *primarium* & *fecundarium*, illum vocando, quando fibi relictus eft: fecundarium, quando dependens, per κοινωνίαν feu communionem aliunde huc deriuatus, vt vefica, vtero, aliisque vifceribus.

Sunt, qui illum *verum* vocant, qui fcilicet caufam in recto inteftino affixam tenet, hunc *mendofum*, vbi caufa non eft fixa, fed aliunde veniens, ficuti materia fluens per inteftina ad anum. Vid. *Bachanell. de confenfu Med. p. 730.*

SVBIECTVM SECVNDARIVM, feu remotum magis & indirectum, dici poffunt illæ partes, quæ in naturali etiam conatu alui exonerandæ cooperantur, ne dicamus, compatiuntur.

CAPVT III.

De Causis.

Cum alui excretio naturaliter se habens vnice ad egerendum faciat, sitque actio animalis, substrata eidem & supposita naturali, sensu & motu absoluenda, eaque interpolata, scybalorum inutilium & recrementorum, fiatque cum εὐφορία, de causis iam tenesmi agendum venit, vbi hæc ipsa vitiose & deprauate fiunt.

Cumque notanter in talibus actionibus sensus præcedat motum, tanquam indicans, & sic accedat ad motum inferendum voluntas, locomotiuæ præses & director, aurigantibus organis cuique actioni velificantibus, commodissimam sequimur merito methodum hæc facillime concipiendi, iuxta causarum ordinem in scholis medicis receptam.

CAVSA PROXIMA & IMMEDIATA est irritatio sphincteris ani continuata. Hoc ipso termino irritationis exprimi solent vsitatissime actus naturæ coactæ; vt vero melius eiusdem ratio pateat, operæ pretium fore videtur, si quædam de ea delibemus etiam hoc loco.

Nil aliud enim dicit, quam sensum ad motum citantem & consequenter citatum. Citans est particulare in loco affecto, citatus sensus communis totius, tactus puta, intellectus & voluntas etiam suo loco explorator optimus. Hinc statim constare potest, eodem sensu, & quidem non inepte dici, archeum irritatum causam hanc subire, tum particularem scilicet, tum vniuersalem.

Sin phrasi veteribus consueta vti velimus, dicenda fuerit

rit facultas expultrix irritata, etiam hoc loco accuſanda & laudanda. Idem enim reuera, imo fere aptius, ſpecialius & conuenientius in concreto ſumpta exprimit, quam vel naturæ, vel archei nomen, complexa eadem ſatis concinne a potiori ſpiritum motorem.

Teſtatur id ipſe ſenſus ægrotantium, & ſatis laudata vrgentia, conatusque indictus. Aſt elegans nomen occurrit apud *Pergamenum* huius irritationis, quod & ſpirituoſi & ſolidi & fluidi concurſum eximie complectitur, vna voce rem ipſam determinans fere penitius: ἕλκωσις dicitur, quaſi *Vlceratio.*

Hanc ſi inueſtigemus, non tam pro vlcere facto eoque indolente ſic accipienda eſt, vnde qui vlcus inteſtinorum pro cauſa dyſenteriæ, ſeu inteſtini recti pro cauſa tenesmi ſumunt, hoc ſano ſenſu accepta voce non adeo culpandi ſunt, vel confuderunt latiorem cum ſtrictiori ſignificatione. Reuera enim hoc nomen ἕλκωσις eſt mechanicum, ab ἕλκω, *trabo*, vt ἕλκωσις ab ἑλκόω *vlcero* dictum, vnde ἑλκτικὰ ὄργανα, *machinæ tractoriæ* dictæ; apud medicos vero ſeorſim attrahentia dicta, quæ ἐπιτιθέμενα τῷ δέρματι ἕλκουσιν αὐτὸ, *impoſita cuti illam exulcerant*, per gradus æſtimanda.

Et hæc ipſa hinc ſunt dolorifica, non vna manſione, ſeu exterius ſic adhibita, per mechanicam, ſeu interne concepta, vnde & tenesmus velut ſpecies quædam eſt doloris, imo & ipſe pruritus, ſuo ſenſu, & effectu, licet prima fronte, quoad ſuperficiem, quandam quaſi titillationem inferat, & præ ſe ferat.

Eſt nimirum & hic triſtis ſenſatio, ſui generis, eaque ad doloris analogiam, non ἐν ἕξει, *in habitu*, ſed ἐν σχέσει, *in habitudine.* Sed ad quid irritatur, ſi quæras, omnino non id fit quoad ſenſum, ſed quoad motum, ad excernendum, vno verbo.

CAVSA MEDIATA PROXIMIOR est acrimonia salina rosiua, vellicans & stimulans portitorem ordinarium. Hæc vt duplex alias est & assignatur, *humorosa* & *vaporosa*, ita prior illa hic omne absoluit punctum, hæc saltim secundario concurrit & afficit tamen; aliquando vero & *solida*, imo & positiua & priuatiua.

Ex humoribus debetur eadem potissimum *bili*, *pituitæ*, & reliquorum omnium vehiculo, *sero*. Quandocunque enim bilis acrimoniam concipit, rodit & radit intestina in genere, acido cumprimis stimulo iuncto. Pituita vero, sibi relicta, veluti domesticam & familiarem defensionem præbet intestinis, maxime recto, & eius sphincteri. Quando vero a bile & sero acrimoniam concipit, & fluxilitatem mutuatur, de sede sua deturbatur, & abrasa tunica crustosa, villosa, glandulosa nudantur intestina, eorumque extremum, & maxime ἀκρόπολις, *extrema sedes*, vnde stimulus, rasio, nuditas laudata & reliqua consurgunt. Inde enim oscilla vasorum nudata exudant cruorem; ibidem mucus prius dulcis & incrustans, ac obtundens salinum acrem acidum characterem, mordax redditur & hosticus.

Hic vero locus est vitia humorum ordinaria applicare. Peccant enim & hic concurruntque quantitate, qualitate & motu. Si *quantitatem* materiæ appellentis spectemus, quo maior & copiosior appellit, eo etiam magis exercetur longanon; quamdiu vero talis manet, non æque stimulat vel irritat, vel fit τεινεσμώδης, nisi adscita qualitate acri, rosiua, fermentatiua, biliosa, serosa. Sic lienteria, diarrhœa, fluxus hepaticus sæpius producuntur, neque vllum tamen tenesmum causant, sed velut iure suo vtuntur excernenda appellentia, & excernens ac promouens sphincter ani.

Simulac vero acuuntur & morsicantia fiunt magis, vel nudan-

nudantur parietes defensi prius, velo suo & mucilagine destituti, præsto est. Atque hinc plus *qualitate* afficiunt, quam quantitate accessorii humores, exitum & dimissionem exposcentes.

Seorsim hinc ipsa scybala corpus delicti, vt ita loquamur, seu materiale constituunt iisdem titulis. Quando enim quantitate saltim discreta peccant, vel sola frequenti deiectione, liquata & soluta salia secum asportantia, afficiunt assiduitate illa sua, & continuatione sphincterem. Docet id vel ipsa detersio iterata, quæ sane non minimum confert & suo loco, vnde muco ablato tenerius afficitur vtrinque anus, nedum acrimoniæ extraneæ accessione, iniuria illata, vrgente.

Ipsa vero qualitas salina est instar omnium, adeo vt & citra molem, & copiam maiorem, humor morbificus intensiue magis, quam extensiue exstimulet. Vt in erosione ventriculi, ab acido rosiuo intertriginem inferente, vel minima quantitas vnius vel alterius cochlearis, potulenti, vel medicamenti assumpta, eousque affligit, sentitur molesta, vrget, cogit, donec vel tantillum illud, nec ἄξιον λόγȣ, excutiatur versus τὰ ἄνω, per nauseam & vomitum perquam molestum: ita idem hic quoque licet animaduertere, saltim mutato loco.

Vt cantharides porro assumptæ, quotidiano experimento, eliquatum & communicatum cum sero sal acre, volatile, causticum, saluis omnibus aliis partibus, in vesicæ sphinctere stranguriam cient; ita acrimonia eiusmodi in intestino recto vel concepta, vel illata, irritat & tenesmum producit.

Imo specialius, vt acrimoniam in parte affecta concipere queamus, suppositoria acriora sint exempli loco. Vel solum alumen in suppositorium formatum anoque impositum id satis euincit, ne alia laudemus, inde citato tenesmo.

Adeo,

Adeoque motus humorum laudatorum, acidorum, acrium, ſalſorum, bilioſorum, imo ipſius ſanguinis, & hic ſubſiſtentis, vel per ῥευματισμὸν, ἀϑρόως καὶ βιαίως, *fluxionem, vehementer & cum impetu*, vel per συναϑροισμὸν *congeſtionem* appulſi, motum ſphincteris hunc inordinatum ciet quoque, acrimonia laudata ibi ſe exerente & ſedem figente. Et hinc ſatis clarere poteſt irritationis huius vlcerantis vis, & gradus non vnus.

Ex ſolidis vero, præter ſtercora iam tacta duriora, & ex vermibus *aſcarides* potiſſimum tenesmum illum roſione ſua & motu citato inferunt. Dicuntur vero aſcarides vermiculi minuti in inteſtino recto potisſimum degentes, caſeorum vermibus non abſimiles, & cumprimis puerili ætati familiares, *Aet. tetr. 3. ſerm. 1. c. 41.* tam propter temperamentum calidum, quam ex vſu crebriori lacticiniorum, dulcium, fructuum æſtiuorum aliorumque, quibus ſeminium verminoſum corpori inferri poteſt & ſolet toto die. Vid. *Fernel. pathol. l. 6. c. 10. p. m. 172.*

Nonnunquam vero ipſi *calculi* quoque, in inteſtinis geniti, teſtante id experientia, concurrunt, qualia exempla latius adducere non attinet. Fœmina quædam, alias tumidioris abdominis, inter alias moleſtias, dolores, inflationes, tumores particulares, & tenesmo laborabat, ſubinde ab adhibitis medicamentis reſoluentibus & calculis excretis per anum.

Ex CAVSIS MEDIATIS REMOTIORIBVS, vtut omnia illa quoque huc concurrere queant, quæ dyſenteriam cauſare; latius tamen & hæc patent, & ſpecialius attingi geſtiunt.

Sic, vt illas delibemus ordine, ex NATVRALIBVS facit huc TEMPERAMENTVM tum vniuerſale, tum particulare. Et ſuo modo in ſingulis, ſi accedat vel ϛάσις, vel acrimonia, diſpo-

ſitio

ſitio quædam, inde oriri poteſt maior. Præ aliis vero, quibus bilioſum magis obtigit, memorandi ſunt, quando bilis copioſior, velut aloe quædam vegetabilis, ad inteſtina fertur, inuitat vt hæmorrhoides, ita & tenesmum.

Acidum melancholicum ipſum, inprimis melancholiæ ſecundi generis, quod atrabilarium vocant, prompte cum acido bilioſo & ſeroſo nexum idem importat. Imo & pituita ſalſa hunc cenſum ſubit. Atque hinc non ſolum pituita inteſtinorum quaſi propria ſalſedinem mordacem ſtimulantem ſortiri poteſt, ſed & ab aliena acrimonia abradi & extrudi. Singulis velificatur inteſtinorum ἰδιοσυγκρασία, connata & acquiſita, ſiquidem minimum ſint debiliora & minus reſiſtere apta.

Quoad ÆTATES aſſiduus hic conatus frequentius viſitur in infantibus & pueris. In illis non ſolum ob cauſam communem iam dicendam, verum & quod ἀῤῥωστίᾳ quadam διανοίας vrgentiam hanc proſequendam niſu altiori putent. In his vero, tum humiditate ætatis, tum quia plus cibi ſumentes pueri nutrimenta ſæpe corrumpunt, vnde εἰκότως, non mirum, tenesmo corripiuntur, quæ verba ſunt *Galeni l. 3. epid. comm. 3. t. 53.*

Confirmat idem *Trincauellius*, quando *l. 9. de rat. curr. c. 8. p. 250. putris*, inquit, *acrisque pituita in calidiori ætate congeritur, quæ cum excernenda eſt, in tranſitu hærens inteſtino recto, illudque mordens vlcerat, & irritat.*

Ex HÆREDITARIA DISPOSITIONE laudari poſſunt, qui familiæ aſſuetudine hæmorrhoides pati conſueuere, ne de aliis morbis affinibus tenesmum fouentibus dicamus. HABITVS CORPORIS tenuior, rarior & delicatior, vti ad alios morbos, ita & ad tenesmum præ reliquis eſt proclivis.

Ratione SEXVS in ſequiori accedit conſenſus vteri quo-

que ipſe, non vno modo, vnde promptius inuitatur & periculoſior euadit teneſmus.

Inter CAVSAS NONNATVRALES primas tenet AER, ſiue alterationem maſſæ ſanguineæ & inde variantem reſpiciamus, ſiue morbos alios, ad teneſmum comitatum, vel ſymptomaticum inuitantes. Qualitatibus enim ſuis etiam primis, præter alias, vel per tranſpirationem libertate ætheris minus conceſſa concurrit. Exemplum tale refertur apud *Foreſtum* ex *Guainerio* de quodam familiari amico, quod, cum montem *Siniſi* in feſtis natalibus tranſiiſſet, pene totus congelatus teneſmum incurrerit. Idem de aëre frigido ſcribit *Auicenna l.3. Fen.16. tr.2.c.16.*

Inter TEMPORA ANNI æſtiuus & autumnalis aër diuerſo reſpectu idem præſtare poteſt. Notauit id *Cous l.1. epidem. ſect. 2.t.17.* æſtate & autumno lienterias, dyſenterias & teneſmos factos. Vid. *Galenus l.c.in comm.t.7.* Indirecte ſeu mediate idem contingit, ſi purgante aſſumpto corpus refrigeretur indebite, ſeu alui procidentia accidat, vel præceſſerit, a frigore teneſmo inuitato, quo de vid. *Höfer. Herc. Med.* Enimuero & neruis & ſpeciatim etiam ἕδρῃ, *ſedi*, iuxta 5. *aph. 18.* & *22.* frigus eſt inimicum.

Conſequitur ex dictis ratio, quare & teneſmum inducat refrigeratio podicis & recti inteſtini, vndecunque facta; quo & ſpectat ſeſſio nudi podicis ſuper ſaxum frigidum, aut mora longior in aqua frigida.

Plurimum vero & apprime conferunt ASSVMPTA, non ſolum alimentoſa ceteroquin ipſa, CIBVS & POTVS, ſed & medicamentoſa & venenoſa. Si enim, qualis cibus, talia excrementa, facile patet, quæcunque acrimoniam ſalinam ſulphuream, acidam, bilioſam congerere, & accumulare queunt, fructus æſtiui, pruna cerea, pyra, poma, ceraſa, melones, cucume-

cumeres, & quæuis alia huius generis, quæ diarrhœam, choleram, dysenteriam producere queunt, vt & τὰ ἀνόμοια στασιάζοντα, *inæqualia turbatiua*, fermentatiua huc pertinere & symbolum conferre.

Nouimus iuuenem XII. annorum singulis diebus viginti vel triginta pyra & poma comedentem, semper vesperi flagellum suum pro hacce breui voluptate, tenesmum nempe, passum, remittentem tamen habita quiete, raroque vltra quatuor horas durantem, qui tandem abstinentia horum fructuum, præmisso purgante, desiit. Simile exemplum iuuenis nobilis recenset *Lælius a Fonte conf. med. 69. p. m. 417.*

Ex potulentis laudanda sunt cereuisia recentior, vel acida quoque, vetustior, feculenta, non bene fermentata, cereuisiæ laxatiuæ, & dulces, mustum, imo & ebrietas a vini vel mulsæ quoque largiori potu, & alia.

Ex medicamentosis huc referenda tum leniora, tum media, tum δραστικὰ, *fortiora*. Leniorum exemplum præbent aloetica, vt pilulæ Francofurtenses ipsæ, aliæque similes crebrius assumtæ. Hæ enim continuato vsu, in cholericis, & siccioribus inprimis, acrimonia sua amaricante, gummosa & facile resolubili, & ipsa detergunt facile plus iusto intestina, & bilem illuc citatius accersunt e suis loculis; vnde deterso muco, nudatis membranis oscula vasorum reserant, & tenesmum hæmorrhoidalem inferunt certo certius. Idem valet de elixirio proprietatis ipso.

Ex mediis faciunt huc omnia purgantia media, si largius operentur, vel frequententur fortiori dosi, minus tamen ordinarie, & non nisi in dispositis, vt gummi guttæ v. g. aliaque; inprimis vero pituitosis alias & inuiscatis glutine simili intestinis congrua alioqui optime gummata, galbanum, sagapenum, opopanax,

Ex δραστικοῖς esulina, helleborata, colocynthiaca, grana tiglia, laureola, euphorbiata, nominasse sufficiat, saluo tamen vsu moderato & decenti prudenter adhibitorum quandoque quorundam, stimuli loco, reliquis hodie fere exoletis. Tacemus male præparata, minus correcta, vel immodica quantitate adhibita, quæ sæpe relinquunt vestigia suæ qualitatis visceribus malignæ.

Notabilis est obseruatio *Nicandri*, qui *in Alexiph.* scribit, a dorycnio assumpto tenesmum citari, seu intestinorum mucum cœnosum effundi,

Τηνεσμῷ δ' ὥσεί τε δυσέντερος ἀχθόμενος φώς.

Vt quem tenesmus miserandaque tormina vexant.

Quod per os remotiori visa via præstant purgantia, idem proximiori excernere valent suppositoria, vel acriora illa, vel in podicem nimia vi intrusa, & clysteres acres & plus iusto refrigerati.

De venenosis assumptis memorat *Platerus loco citato*, quod puluis adamantis propinatus dysenteriam & tenesmum excitauerit. Id quod tamen alii minus concedunt. Certius est, imo longe certissimum, a venenis mineralibus, vt arsenico, mercurio sublimato & similibus idem accidere. Quidam æditiuus cum per errorem ministri hunc sumpsisset, tantum sensit conatum, vt etiam anus misero exprimeretur, mortemque oppeteret.

SOMNVS & QVIES diuturnior, humorum otiosorum mater; VIGILIÆ omnigenarum cruditatum parentes vel verbo laudari merentur.

MOTVS vero citatior succussatorius & continuatus affluxum ad anum promouere, vel intertriginem quoque & nisum ad excernendum inuitare potest.

Ex

EX ANIMI PATHEMATIBVS huc faciunt ſuo modo metus, mœror & triſtitia, de quibus eleganter ſcribit *Syluius: Omnes humores redduntur glutinoſiores mœrore.* Sed vt hi quietiores & minores videntur affectus ad motum hunc prouocandum; ita maioris momenti eſt ira. Viſi ſunt, præſertim in ſequiori ſexu, dicta temperie præditi, ſimul iræ fermentum turbatiuum, velut fomitem quendam, concepere, breui poſt ad teneſmum & diarrhœam ipſam concitari.

Agmen claudunt ex hiſce EXCERNENDA RETENTA, & RETINENDA EXCRETA. Vt menſium & tranſpirationis inſenſibilis, aliarumque conſuetarum excretionum retentiones taceamus, vel ſola aluus, priuata quaſi culpa, modo laxior huc facit, iuncta ſalſedine & acrimonia quacunque: modo adſtrictior.

Enimuero ex ſtercore indurato, indeque concurrente ſuo niſu coactiuo, ex vitio bilis, ſucci pancreatici, aut potulentorum defectu, vel deficiente inteſtinorum motu periſtaltico, oriri quoque teneſmus aſſolet, quo de vid. *Chriſt. Ioh. Langius in praxi med. c. 6. p. m. 25.* Talem hiſtoriam ruſtici ex induratione fecum in teneſmum decidentis recenſet & *Foreſtus l. 22. obſ. 40.* & *Hollerius l. 1. c. 41.*

EX CAVSARVM PRÆTERNATVRALIVM claſſe quam plures memorandæ ſe offerunt. Sic teneſmus velut ex malo ouo gignitur in *febribus putridis malignis* & *peſtilentialibus*, μεταστάσεως facta aliquando humoris illius putris maligni & venenoſi ad inteſtina, de qua vid. *Vidius tom. 3. l. 9. c. 24. Platerus in praxi med. tom. 3. c. 11.*

Ex iisdem morbis intemperiei maxime cauſat eundem *inflammatio ani* vndecunqne orta, ſeu inteſtinis reliquis communicatione ad eum facta, ſeu propria & locali culpa.

Frequentiſſime vero ſequitur *dyſenteriam*, quam velut

indiuiduus comes ſtipat, ſæpe parili ſi non maiori moleſtia affligens, tenesmus, quam fluxus & tormina ipſa, non conceſſa mora, quiete, & interuallo. Et ipſa iam dicta inflammatio extremæ ſedis etiam a dyſenteria viſa eſt, eamque grauiorem & funeſtam magis reddit; & citra hanc ſtimulus communis ſæpe etiam male curatam dyſenteriam excipit, fluxu ſcilicet bilioſo retento, ſtimulante, quod ſtudioſe notaverunt *Foreſt. l. c.* & *Hollerius l. 1. c. 44. p. m. 354.*

De *Cholera* tenesmum producente egregius extat locus apud *Aretæum*, vbi in recenſendis choleræ phænomenis & accidentibus: *choleræ*, ſcribit, *conatus ad vomendum perpetui ac inanes fiunt, inclinatio ad deiiciendum prompta, quam τεινεσμὸν Græci vocant, ſicca tamen nihilque ſucci egerens.*

Plura præterea apud autores proſtant exempla tenesmi per conſenſum orti, ab obſtructione v. g. ſtercoris coacti in inteſtino cœco *Aet. l. 9. c. 43.* *calculo veſicæ*, præſertim ſi collum obſideat, quo de vid. *Pathol. dogm. Wedelii Sect. 3. c. 12. p. 654.* ab *hæmorrhoidibus, fiſtulis, rhagadibus ani, Ioel. l. 4. ſ. 3. Ioh. Zecchius conſ. med. 37. Ebnſina l. 3. fen. 7. tr. 2. c. 16.* A *tumore* vteri, & vaſorum ſeminalium *Sennert. prax. l. 3. p. 2. ſ. 2. c. 12. p. m. 414.* A *ſtranguria Pæon. & Pythagor in exercit. Anat. med. 13. p. 63.* A *rugitibus* aliisque flatibus, & *partu difficili* ipſo, *Holler. l. 1. c. 44.* A dolore colico, *Foreſt. l. 22. obſ. 43. Amatus Luſitan. l. 3. curat. 44.* Ab *inflammatione* paraſtatarum *Mercat. l. 3. c. 13. p. m. 299.*

Sunt, qui tenesmum etiam deriuant a pituita ſpumoſa acri, in catarrhis acribus ex capite ad ventriculum & inteſtina defluente, quem fluxum cerebralem vocant, vt *Vid. Vid. tom. 3. l. 9. c. 24.* & *Plater. in praxi tom. 3. c. 11. p. m. 802.*

De *calculo* inteſtinorum iam diximus, extraordinarie magis & præternaturaliter ibi genito. Neque obſtat, quosdam

dam id non vidiſſe, vt *Galen. l. 6. c. 2. de loc. affect.* ſcribit: *quidam ſcripſerunt, lapides ex inteſtinis exiiſſe, quod tamen neque ipſe vidi, nec qui viderit, audiui adhuc quenquam.* Confer. *Paul. Aeginet. l. 3. c. 41.*

CAPVT IV.
De Differentiis.

AD complendam teneſmi notionem DIFFERENTIÆ quoque eiusdem ſunt viſendæ; ita enim intimius patebunt omnia, & aditus ad dignotionem, prænotionem & curationem ſternitur.

Ratione GENERIS alius eſt *incipiens*, qui mitior, alius *perfectus* & exquiſitus. Alius *verus*, qui cauſam ſui inteſtino affixam tenet, alius *mendoſus*, cum materia non eſt fixa, ſed aliunde veniens, quo de *Foreſtus l. 22. obſ. 40.* Alius eſt *breuis*, alius *productus*.

Ratione CAVSARVM alius eſt *eſſentialis*, alius *per conſenſum*. Alius *hæmorrhoidalis*, qualis ab aloeticis, vel etiam citra ea communiſſime fit, *Ebnſina l. 3. fen. 7. tr. 2. c. 16.* alius *dyſentericus*, tum a priori, quem ſequitur dyſenteria, vt præter *Coum Trallianus* teſtatur; tum a poſteriori, qui dyſenteriam. Alius *nephriticus*, qui a calculo veſicæ cumprimis oritur. Alius denique *hyſtericus*, affecto ſcilicet, & irritato recto inteſtino ex conſenſu vteri. Sic & alius teneſmus eſt a cauſa *interna*, alius ab *externa*, alius ab *humoroſa*, alius *vaporoſa*, qualem ex colico dolore notatum iam laudauimus.

Ratione TEMPORIS alius eſt *conſtans*, alius *interpolatus*,

horis

horis præſertim veſpertinis recrudeſcens; *Lal. a Font. conſ. 69. p. 417.* Ratione MORIS alius eſt *benignus*, alius *malignus, peſtilentialis*, quem lethalem pronunciat *Val. de Tarantal. 4. c. 35.* Alius *gangrænoſus*, ſeu inflammatorius grauior.

Tenesmus vero differt a dyſenteria (1.) *loco;* huius enim ſubiectum ſunt omnia inteſtina, tam tenuia, quam craſſa; illius tantum inteſtinum rectum. (2.) *Excretione & ſenſatione;* in dyſenteria multa egeruntur, in tenesmo nulla, vel pauca; in illa quoque tormina, tenſio & grauitas, ſed longe minor ac in tenesmo, *Galen. l. 3. de ſympt. c. 2.* (3.) *Cauſis*, dyſenteria fit ab acrimonia fermentifica, & roſiua febrili indefinita, tenesmus a minori, & particulari, vt alia non laudemus.

CAPVT V.

De Signis diagnoſticis & prognoſticis.

EMpiricorum eſt citra SIGNA curare, cumprimis eos affectus, qui velut per ſe patent. Sed cum ſigna etiam generalia differant ſpecialibus circumſtantiis, neque ſolum genus, ſed & ſubiectum & cauſas declarent, merito curationi ipſi ſunt præfigenda tam diagnoſtica, quam prognoſtica.

Ratione GENERIS ESSENTIALITER INHÆRENTIA optime recenſet diuinus *Senex*, quæ verbis ipſius exprimemus ex *l. περὶ παθ. c. 27. t. 1.* Primum eſt *egeſtio; διαχωρέει*, inquit, *αἷμα καὶ μύξα, ſecedit ſanguis & mucus.* Conſiſtit in egeſtione, ſaltim intentata, ſi non mole, tamen virtute, diſtinctus hinc ab omnibus aliis fluxibus. Id vt exprimeret, διαχώρησιν nominat ſolum. Vt vero & materiale nominaret, ſi quid exeat, non

alui

alui feces vocat, ſed duo alia, primo ſanguinem, deinde mucum. Idque notanter ſaltim alterutrum, non coniunctim, ſed vel ſanguis, vel mucus ſecedit.

Dum vero nihil aliud addit, innuit, parce & paucius id fieri, vt vel nihil quoque, vel guttæ ſanguinis per ſe, vel exiguo ſtercori immixtæ prodeant, vel deiectio, ſeu cruenta, pauca & tincta, ſeu mucoſa ſaltim. Vel nihil ſecedit, & hoc vel illud aliquid ſi nominandum, præter tantillum ſtercoris, ſanguis & mucus.

Id vero alibi exprimit *l. de fiſtul. c. 3. t. 1.* vbi de inflammatione inteſtini recti agens eleganter: καὶ ἐς ἄφοδον, *inquit*, θαμινὰ καθίζει, καὶ μηδὲν ὑποχωρέει, *& frequenter ad exonerandam aluum deſidet, & nihil egerit.* Et ſanguinolenta quidem exeunt exigua fere, reſeratis oſculis vaſorum ab acri materia, vel vlceratione ipſa.

Alterum ab ipſo memoratum eſt πόνος, *dolor*, labor, niſus coactiuus, conatus & implacabilis deſidendi cupiditas, cum vel ſine flatibus, eaque vrgens & repetens, mouens non promouens.

Tertium locale ſpeciatim eſt, καὶ μάλιστα ὅταν ἐς ἄφοδον ἴξῃ, *& maxime vbi ad ſeceſſum deuenerit.* Quo ipſo indigitat, dolorem incipere cum niſu, & intendi, quando ad exituram venit, repetendo priora, vt, quando egerere intendit, & liberationem ſibi ſpondet ſphincter, quaſi de nouo idem iterum iterumque repetatur. Quaſi dicat, verbis *Celſi*, frequens deſidendi cupiditas eſt, æque dolor vbi aliquid excernitur.

Inter POST-ESSENTIALIA teneſmi ſigna recenſeri merentur vigiliæ, inquietudines, moleſtia fatigans, ſtranguria, procidentia ani, & hæmorrhoides, febris item aliquando ipſa, ſitis, pulſus celer, aliaque inflammationi communia, vt co-

licam, si tenesmus a ventositate, dolorem iliacum, singultum ipsum taceamus, quæ tamen rariora.

Signa SVBIECTI, an per essentiam vel consensum tenesmus fiat, & CAVSARVM, patefaciunt actiones læsæ aliarum partium concurrentes. Parum abest, quin commodissime videantur applicari posse differentiæ lassitudinis spontaneæ ad tenesmum. Alia enim dicebatur ἑλκώδης, *vlcerosa:* alia φλεγμονώδης, *inflammatoria;* alia τονώδης, *tensiua*, a diuersa sensatione diuersam causam & afficiendi modum arguentes, affinia singula.

Singulæ conueniunt tenesmo, vlcerosa v. g. debita salsæ acidæque pituitæ, inflammatoria sanguini, tensiua partim singulis, partim bili, vel simplici, vel atræ quoque. Ita porro cognoscuntur humores pituitosi & viscidi ex grauatiuo dolore, egestione mucosa & subcruenta, acres & biliosi ex dolore magis acuto & erosione fortiori: ascarides morsu & deiectione vermium, feces induratæ ex tensione & pondere quodam premente, aluique excrementis plane retentis: inflammatio ex siti, febri, vt & dolore, & excrementis saniosis, alia ex sibi solennibus signis & symptomatibus.

Et sic non solum tactu, sed & visu & colore hæc patefieri queunt, albore pituita, flauedine & viriditate bilis, rubore sanguis, vlcus pure & ichore se manifestat, & sic porro elucent notæ excretorum & loci affecti.

In PROGNOSI SALVTIS & MORTIS, ratione GENERIS, dolorificus est affectus & molestus, quo de *Galen. l. 3. epid. comm. 3. t. 53.* legi potest. Dolorificus propter tensionem, τάσεις ὄντας σφαλερὰς, *tensiones vehementes vocat. ibid. l. 1. comm. 2. t. 36.* molestus, quod assidue desidendum. Attamen communi quasi consensu sibi relictus non est lethalis. Ita *Com l. c.* fit

qui-

quidem, *ait*, ex iisdem, quibus & dyſenteria, verum debilior & breuis, *καὶ ὀ θανατώδης, & non lethalis.*

Galenus item *l. 5. de vſ. part. c. 4.* refert affectum hunc inter morbos infimi ventris & inteſtinorum grauiſſimos quoque, ſed periculo aliis, dyſenteriæ, ileo, non parem. Conſentit *Celſus l. 4. c. 18. leuius*, inquiens, *eſt aliis malum, ſed neque acutis, neque longis morbis annumerari debet, cum & facile tollatur, nec vnquam per ſe iugulet.*

Variat tamen id ex circumſtantiis, quamuis enim non per ſe adeo timendus ſit, per accidens tamen, concurrentibus ſymptomatibus aliis grauior æſtimandus merito: Hinc recte *Sennertus: periculoſus eſt affectus, quia non leuia ſymptomata & mala ſæpe ſecum trahit.*

Deteriorem ſic reddunt CAVSÆ, quæ quo grauiores, eo grauior affectus. Ita grauior eſt ab inflammatione oriundus, vt & ab atra bile, qui quaſi cancrum exulceratum æmulatur, teſte *Sennerto* & *Riuerio l. 10. prax. c. 7.* Vlterius a bile & humoribus acribus grauior eſt, quam pituitoſus, facile in dyſenteriam tranſiens, quod peius fere eſt, quam ſi dyſenteriæ ſuperueniat.

LONGITVDO & BREVITAS variat, prout chronicis vel acutis ſymptomatibus iungitur, eademque producit. Si enim vrgeat nimius conatus, conſequitur non raro ani procidentia, inprimis in pueris, vtroque nomine tædioſior, quod hi remedia ferre recuſant, in ſenibus ob debilitatem & vappeſcentes magis humores, quibus ordinarie longiores morbi eſſe aſſolent.

Imo & alia quæ excitant teneſmum, eundem & conſequi aſſolent, vt ipſa inflammatio, partus difficilis, & vteri ὀδαξισμός. Seorſim ob niſum & presſionem maiorem, in debilioribus inprimis & diſpoſitis, cauſare poteſt abortum, eſ-

fato *5. aphor. 27. Si ingrauidatæ mulieri tenesmus superuenerit, abortire eam facit;* accedente consensu & connexione intima partium vicinarum, vteri, & vesicæ quoque.

Symptoma denique non vnum periculosiorem minitatur tenesmum, singultus v. g. diutius durans, nec periculo vacantem diximus tenesmum dysenteria atque febri coniunctum. Idem valet de illo, qui molestis torquet vigiliis, & quandoque in tabem, febrim hecticam ægros coniicit, teste *Forest. l. 22. obs. 40.* sic & grauior est, qui stranguriam secum vehit & inflammationem intestini, elogio *5. aph. 58.* Tacemus tenesmum a ventositate transeuntem in ileon, colicam, cephalalgiam grauissimam, syncopen ipsam, notante hoc *Val. de Tarant. l. 4. c. 35.* Quod si negligatur, etiam in vlcus sordidum, imo ani fistulam degenerare aptus natus est, quæ symptomata omnia euentum infeliciorem prædicunt, & præ se ferunt.

Contra ea bene sperare iubent symptomata remissiora, & tenesmus quasi solitarius, nec inueteratus, præsertim si ægroti bene comedant. Quod si hinc excretis reliquis, qualibuscunque demum interponantur, verbis *Celsi l. c.* ex cibo quoque recte coacta, & sic πεπασμὸν denotantia, id optimum signum est morbi cito desituri. Et hic MODVS EVENTVS est longe optimus.

Sin peiora illa perdurent & vrgeant, seu acuti generis, vt inflammatio gangrænosa, seu chronici, ad mortem terminari solent, vel commori. Referri huc potest tenesmus senilis T. Pomponii Attici, qui cum primitus per tres menses sine vllis doloribus fuisset, grauioribus puta, subito tanta vis morbi in vnum intestinum prorupit, vt extremo tempore per lumbos fistula eruperit, vnde indies dolores increuere, & febris accessit, lethalis futura per se, nisi ipse inediam sibi indixisset, vnde alleuari visus pertinaciter occubuit.

CAPVT

CAPVT VI.
De
Curatione.

T in aliis morbis curandis, ita & in tenesmo METHODO MEDENDI, tanquam cynoſura, opus eſt, qua ſine vel inanis, vel incerta, vel noxia quoque eſt CVRATIO.

Quamobrem innixa INDICATIONIBVS demonſtratiuis opus eſt. CVRATORIA tollendam irritationem præcipit, vrgentem ἄφοδον. PRÆSERVATORIA acrimoniam & ſtimulum quemcunque remouendum, qui irritationem fruſtraneam fouet & promouet. VITALIS tum vires attendit cuiuscunque partis, tum, ſi quæ adſit, vrgentiam, cumprimis inflammationem, ex acutis, ex chronicis fiſtulam, & alia.

VENÆSECTIO ordinarie nec teneſmo, nec ſociatis, vel productis inde morbis quadrat, vel opus eſt, ſi inflammationem grauiorem exceperimus, in qua reuellendi, deriuandi vel euacuandi fine aliquando eſt indicatio. Idem valet in fluxu immodico hæmorrhoidum, vel defectu quoque ipſo, pro re nata, & hoc fine *oportet*, inquit *Ebnſina l.3. fen. 16. tr. 2. c. 16. vt curetur initio ſui cum phlebotomia, ſi neceſſarium fuerit.*

Idem dixerimus de ſuccedaneis SCARIFICATIONIBVS blandis extremorum, LIGATVRIS & FRICTIONIBVS, aliisque, non temere tamen & promiſcue adhibendis.

Sic etiam ſi inflammatio, inquit *Riuerius prax. l.10. c.7.* poſt venæſectionem perſeueret, & ſtranguriam generet, apertio admotis HIRVDINIBVS fiat hæmorrhoidalium venarum, quod remedium iam vſitatum felici cum ſucceſſu fuit *Amato Luſitano Cent.6. cur.84.*

E Fonte PHARMACEVTICO indicationibus ſatisfaciunt EVACVANTIA & ALTERANTIA. Ad priorem claſſem pertinent EMETICA, præcipue ſi materia peccans ſit in primis viis, humoresque vel bilioſi, acres, vel viſcidi & pituitoſi, breui manu, quod aiunt, ſic euacuari amant.

Confirmari hoc poteſt elegantiſſimo loco *Hippocratis l. de affect. c. 28. t. 5.* vbi ab emetico (inprimis hodie leniori) *παραχρῆμα, ſcribit, ἀνασπᾶται ἄνω ἡ κάτω ἄφοδος, confeſtim ſurſum reuellitur infernus ſeceſſus.* Exemplum habet *Renealmus obſ. 7.* vbi aurum vitæ commendat in tenesmo & dyſenteria, modo id ad leges methodi medendi fiat.

Idem valet de PVRGANTIBVS, ſi v. g. fiat a repletione & ſaburra inteſtinorum; ſi moueant ſtimulantia, non promoueant, ſi ſcybala indurata ſint, & aliis caſibus. Sed ſelectu opus eſt vt indicantium, ita & indicatorum: proſunt enim magis pro re nata leniora, ſecluſis fere aloeticis, eaque humectantia, minus *δραστικά, μοχθηρά,* fortiora & violenta, ſed temperatiora & media, *rhabarbarina, ſennata* & ſimilia. Ita enim non timenda ſunt etiam in fecibus induratis, ne paſſio iliaca vel mors ipſa ſequatur, quo de vid. *Guainer. de flux. tr. 5. c. 2. Fuchſius tr. 3. l. 3. c. 18. p. m. 119.*

Ita etiam vnico purgante teneſmum curatum videas, quale exemplum habet & *Grulingius Cent. 1. cur. 33.* de viro XL. annorum, qui a tribus hebdomadibus paſſus erat teneſmum, quotidie nimirum octies ſtimulo vrgente, ſed irrito plerumque conatu, parum vel nihil excernente, ſcybala alba, liquida & mucoſa, præuiis ſemper torminibus, cum flatibus permixtis. Hunc curauit nodulus ex aperientibus cum *rhabarbaro* & *foliis ſennæ*, infuſis cum vino abſinthite.

Tutiſſimum remedium & euacuandi & emolliendi, non minus ac abſtergendi & demulcendi fine, in teneſmo exiſtunt

CLY-

CLYSTERES, non ſolum quia immediate ad partem affectam penetrant, & maxime fecibus induratis ſubueniunt; ſed & quia, citra virtutem euacuandi, pro differentia ingredientium, leniunt, detergunt, conſolidant & calefaciunt, quibus ferme omnes teneſmi indicationes abſoluuntur.

Satisfaciunt huic ſcopo rad. *alth. lil. alb. malu. glycyrrh.* herb. *branc. vrſin. mercurial. 5. aperient,* flor. *verbaſc. chamæm. ſ. Rom. melil.* ſem. *lini, fœni græc. pſyll. cydon. hord. mund. oryza, furfur. lupin. ſebum hircin. ceruin. mel, ſacch. ol. chamæm. lil. alb. hyoſc. electuar. lenitiu. diaphœn. vitell. ouor.* Polychreſtum eſt *lac,* tam ſolum, quam cum *vitell. ouor.* ne *lac amygdal. dulc.* & *cremorem hordei* laudemus.

Idem dictum eſto de variantibus iisdem aliis ingredientibus, vnde huc referri poſſunt etiam traumatica, adſtringentia & alia ſimilia temperantia, quæ largius huc conferre & enumerare non opus eſt. Clyſterem vocat mirabilem *Hartmannus in praxi chimiatr.* ex iure veruecino, cum *olei ceræ* guttis aliquot iniectum, cuius loco *Michaelis verbaſcum* iungit.

Memorari hic poſſunt clyſteres quoque ſicci, ex fumo tabaci, Anglorum inuento, conſtantes, in teneſmo quoque, & dyſenteria, præter alios caſus, commendati, & experimento probati, quo de vid. *D. Valentini Polychreſt. Exot. diſſ. 5. §. 4. p. 72.* Siccandi minimum vſu concedendi fuerint, quamuis minus vſitati.

Ex DIAPHORETICORVM claſſe huc pertinent, quæ diuerſioni cauſarum teneſmum fouentium & continentium debentur, vt ῥευματισμῷ vel συναθροισμῷ, inflammationi, dyſenteriæ & diarrhœis, ab acribus, venenoſis, malignis, purgantibus oriundo ſtimulo. Inter hæc laudem merentur temperata, fixa, alcalina terrea, abſorbentia, mucilaginoſa, vt

terra

terra sigillata, Turcica, Lemnia, bolus armena, C.C. philos. præpar. ♁ium ☉le cachecticum, pulu. cordialis Anglicus, lapis bezoar vterque, natiuus & artificialis.

Inter selectiora bezoardica, præter laudata, locum tuentur ℞a *bezoard.* ~ *theriac. campb. theriaca Androm. cœlest. mithridatium, Oruiet. Aqua flor. sambuc. cinam. cydon. cord. H.S. fr. elect. diascord. Fracast. vnic. ver. & fossil. rad. contrayerv. pulv. bezoard. pannon. ruber, C.C. phil. succin.* aliaque, pro intentione medici & variationis gratia, in mixturis, potionibus, electuariis, bolis & pulueribus propinanda.

Ex DIVRETICIS *succinata, lapides cancrorum, semen lycopodii* & similia; ex compositis *essentia lithontriptica, elixir nephriticum*, minus vero, citra alium respectum, acida, nitrosa vel alcalica, vel fortiora pellentia ex vsu esse queunt. Vti enim stranguria & tenesmus in formali & sæpe materiali ipso quoque conueniunt, ita aliquando iisdem remediis curantur.

Præcipua sunt ALTERANTIA & ROBORANTIA SPECIFICA reliqua. Hæc vero vt indicationibus distinctis & determinatis debentur, ita quoque non possunt esse vnius eiusdemque commatis. Licebit hinc in genere commendare respectiue, seligenda facile a medicæ materiæ perito, & speciatim applicanda suis causis, non solum iam tacta bezoardica, sed & v. g. aperientia, adstringentia & resoluentia, anthelmintica, visceribus variis congrua, carminatiua, & καϑ' ἐξοχὴν ἐπικεραστικά, quæ acrimoniam & mordacitatem humorum obtundunt, parietes firmant, demulcent & sanant, incrassantia ipsa.

Ex INTERNIS, vt pauca quædam delibemus, laudari possunt *rad. althææ, gumm. tragacanthæ, sanguis draconis, terra Iaponica, masticbe*, eiusque oleum, ad aliquot guttas

cum

cum *aqua menthæ*, *plantaginis*, *cinam. cydon.* exhibitum, quod inprimis *Hartmanno l. c.* laudatur, quod ſubito teneſmum ſoluat.

Cera ipſa, iam olim a *Dioſcoride* dyſentericis commendata, hinc & aliis, vt *Valeriolæ l. 2. obſ. 4.* in pomo, præcipue cydonio, excauato cocto diffuſa & cum eo aſſumpta ante omnem cibum, laudem meretur.

Sic & conueniunt *dens hippopotami* philoſ. præparat. *bolus armen. cryſtallus montana* rite præpar. *lapis ſapphirus*, *corallia rubra*, imo *cortex chinæ* & *chaquerillæ*, *cinnabaris natiua*, *cornu cerui* & *ebur* vſtum quoque, *puluis ſtypticus*, & ex his compoſita varia alia; item *eſſentia traumat. carminat.* R*æ* ♂*les temperatæ*, *corallior. &c.*

Colophonem addunt *opiata* ipſa, debito modo præparata, reliquis combinanda, ſaltim refracta doſi, vel media quoque, pro diuerſis vrgentis doloris gradibus, ad refrenandos ſpiritus ferocientes, & humores acres ſeroſos, acidos, bilioſos, vt *extractum* & *eſſentia anodyna*, *pil. de cynogloſſa*, *de ſtyrace*, ne theriacalia ipſa repetamus.

Nec EXTERNA, ſeu TOPICA præſidia, ad leuandum & tollendum teneſmum ſunt de nihilo, variantia itidem pro peccantis cauſæ modulo. Ita fotus fieri poſſunt ex *verbaſco*, eiusque floribus, *malua*, *althæa*, herba *paridis*, *hyoſcyamo*, *ſcrophularia*, *linaria*, *chamæmelo* c. t. *ſemine lini* conquaſſat. fl. *papau. rh. ocul. popul.* cum lacte inprimis coctis & applicatis, ſeu vaporetenus, ſeu ſacculis partitis applicatis.

Ita *tapſum barbatum* cum vino decoctum & applicatum pro experto habet *Petr. Paul. Pereda l. de curand. morb. l. 1. c. 28. Plinius Secundus l. 3. c. 17.* commendat *allium* ex pulte coctum, & de eodem *Æmilius Macer l. de herbis c. 4.* canit:

Adiuuat incoctum pulti sumptumque tenesmon.

Cum *aceto* vero parati fotus minus fere sunt congrui, qualis est ab *Aëtio* commendatus, ex latere antiquo puluerisato, & cum aceto subacto, reiectus proprio experimento a *Lotichio l. 4. c. 8. obs. 11.* Interim *folia quercus* in eiusmodi decoctis quoque non inepte iunguntur, pro tono partis affectæ simul quodammodo roborando, præcipue quando procidentia ani imminet vel coniungitur.

SVFFITVS tum ex iisdem confieri possunt, vti & *suffimentum de verbasco Mynsichti* satis egregium est, tum ex *colophonio, gummi animæ, iuniperi, mastiche, thure*, & aliis

Et BALNEA ipsa paregorica ac insessus huc referri possunt, sed rariora magis, neque ita commoda, vel frequentanda. Constant ex communi cum clysteribus materia, rad. *symphyti*, *alth.* herbis & flor. *maluæ*, *althææ*, *verbasc. violar.* sem. *lini* conquassat. *ocul. populi &c.*

LINIMENTA & VNGVENTA quoque memorari possunt. Blandiora ex *ol. lilior. albor. ouor. recenti*, *hyoscyami* rite parato, ipsoque aliquando *petroleo*, vt in ascaridibus, nulla inflammatione præsente eximium ferunt opem. Illa tamen præsente res maioris est momenti, neque externis æque tollenda. Ipsa vero olea paregorica, hæc vel illa, lumbis, umbilico, abdomini, hypogastrio quoque illini possunt, præsentibus doloribus præsertim.

Sic & ex *cerussa*, *pomphol. magister. sacch.* ♄*ni* sem. *lycopod*, mucilagine *gumm. arab. tragac. cydon.* cum *ol. symphyti* & aliis vnguenta fieri queunt. Tacemus & *sebum cervin. & hircin.* longe temperatiora, præ suillo, si vsus ita ferat, eadem illis miscendi & applicandi.

Optima est, loco amuleti seu appendicis, *radix telephii* recens, quæ gestata in linteamine, probato effectu, non

non ſolum hæmorrhoidum dolorem compeſcit, ſed & extra illum temperat loci intemperiem, & laxitatem, ac tenſionem occultam quaſi, ipſamque ani procidentiam arcet.

Quod SVPPOSITORIA attinet, omne quidem ſuppoſitum ano vel dilatatione ſua illum ſtimulare poteſt: attamen ſi acrimonia roſiua maior ſit & dolorifica, intertrigo, vlcus ipſum, vel fiſtula quoque malum foueat, poſſunt & ipſa blandius afficientia concedi aliquando.

Ita in tenesmo dyſenterico grauius infeſtante, & dolore in ano moleſto balanum præſcribit *Valeriola l. c. ex myrrhæ, croci, ſtyracis calamitæ* ã ℨi *opii* ℈ii *bdellii, aloes* ã ℨß. *ceræ citrinæ liquefactæ q. ſ.* Fiant balani, quorum vno in anum indito, ſedatus confeſtim eſt dolor, & tenesmus remiſit.

Sunt, quæ in formula hac deſiderari poſſint, nihilominus vero tranſire poteſt, & experientia vna plus ſæpe valet quam plures rationes. Alias enim ſi de aloe nihil dicamus, cum vſus internus & externus eius differat, & nonnulli etiam inter vnguenta ad tenesmum recipiant, *opium* largiori doſi noxam inferre poteſt. Ita, teſte *Guainerio* quidam ex *opii* ℨii. *thur. gumm. arab.* ã ℨi. ſuppoſitorio ab empirico præſcripto mortuus legitur; adeoque hæc non temere imitanda.

Singulis hiſce pondus addit DIÆTÆ regimen accommodum. In VITALI AER ſit temperatus, ad calidum magis vergens, frigus vero omne vitandum ſollicite, tum in genere, tum maxime a loco affecto arcendum, defendendo & fouendo.

In NATVRALI CIBVS in quantitate ſit ſufficiens; ſiquidem hic morbus, quod *Hippocrates* aſſerit, plures cibos expetit; cum enim ab inanitione magis fiat, cibis ſuggeſtis minorem mordacitatem inferunt humores. In qualitate ſit ἔυχυμος, καὶ ἔυπεπτος. Vitanda ſunt acida, acria, ſalſa, fer-

mentifica, leguminoſa, flatulenta, oleracea, præterquam in alui obſtructione, fructus æſtiui & autumnales.

Piſces ſaxatiles concedendi, & inprimis ex his *gobius* fluuiatilis. Elegans de hoc eſt locus apud *Simon. Sethi l. de alim. facult. p. 61.* Si, *inquit*, ſine ſale aſſus edatur, ἰᾶται δυσεντερίας καὶ λειεντερίας, καὶ τὰς τεινεσμώδεις προθυμίας, *curat dyſenterias, lienterias & fruſtratam deſidendi cupiditatem*, ſeu teneſmum.

Cereuiſia ſit probe defecata, non recens, nec acidior. Vini & lactis vſus variat pro circumſtantiarum, febris, diarrhoeæ, hæmorrhoidum, calculi &c. modulo.

In ANIMALI QVIES & SOMNVS cordi habeantur; MOTVS corporis & ANIMI citatior cauendus. EXCRETA moderanda ad εὐφορίαν, cui πέψις alimentorum & πεπασμὸς excrementorum velificantur.

SOLI DEO GLORIA.

SI Cereris videas & Bacchi nectare lætos,
Torquentes epulas noris & haſce fore.
Quisque ſuam ſecum matulam gerit atque latrinam,
Ante retroque oritur nomine vtroque dolor.
Tu reparas portas quaſſas ſolamine certo;
Vnde Tibi laudes noſter Aperta parat.

Nobiliſſ. Dn. Doctorando
Honoris, Affectus & fauſtæ Gratulationis ergo ſcrib.

PRÆSES.